

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.



EXERCITATIONIS PHILOLOGICÆ  
DE

MESSIA, AGNELLOS  
IN BRACHIUM SU-  
UM CONGREGATURO,  
INQUE SINU SUO GE-  
STATURO,  
AD ILLUSTRATIONEM

ESAÏÆ XL. V. II.

SECT. I.

QUA  
AD

ORATIONEM AUSPICALEM

DE

EO, QUOD FELICES PRÆSTAT  
SCHOLAS

D. V. MART. IN LYCEO FRIDERICIANO

à SE HABENDAM  
HUMANISSIME INVITAT

HERMANNUS BEISMANN,

SCHOLÆ REG. FRIDERIC. DESIGNATUS

ET INAUGURANDUS RECTOR.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis SIGISMUNDI GABRIEL ALEY

27.  
10





§. I.



Llustre admodum & profusum memorabile est vaticinium, quod apud principem prophetarum *Esaiam* cap. XL. versu XI. legitur. Describit in eo propheta, & vivis quasi depingit coloribus egregiam curam, quam filius Dei, qui ipse Deus est, benedictione & laudibus extollendus super omnes in secula, populo suo impensurus esset, ubi carne humana testis omnium se oculis, velut Deum ipsorum conspicendum, & digito demonstrandum exhibuisset. Videlicet pasturus erat eum, velut pastor gregem suum in brachium congregaturus erat agnellos, & in sinu suo portaturus: fœtas ducturus erat commode. Nos, partem illius, & quidem eam potissimum, quæ agniculos respicit, in præsens accuratiori lustrabimus cura, ita tamen, ut literam tantum & verba ipsa, quantum spatii, quod hujusmodi exercitationibus præfixum esse solet, permittet angustia, excutiamus, cætera, quæ de re ipsa, sensuque prophetico dicenda erant, in aliud, Deo vitam sanitatemque prorogante, rejecturi tempus.

§. II.

Verba ipsa ab *Esaiâ* hunc in modum proferuntur: *ברועו ויקבץ שלמים ובחיקו ישי* & Junio commode satis his latinis exprimuntur vocibus: *In brachium suum congregabit agnellos, & in sinu suo portabit: De Messia, seu, quod eodem recidit, de Filio Dei in carne olim manifestando, prophetam verba facere, adeo manifestum lucique expositum esse confido, ut illud velut certum & indubitatum mihi sumere, eoque pluribus evincendo me tuto supersedere nunc posse, otanino existimem.* Qui Christianorum sacra amplectitur,

.)



Exitur, neque laboriosum nimis putabit, vel totum hoc caput, & quæ eo memorantur, fugitivo solum inspicere oculo, vel comma illius tertium & quartum cum *Math. III. 3. Marci I. 3. Luc. III. 4. Job. I. 23.* comma quintum cum *Job. I. 14. III. 31-34.* comma sextum, septimum & octavum cum *1. Petr. I. 24. & Jacobi I. 10.* imprimis vero comma hoc undecimum cum *Job. X. 12. & 14. Hebr. XIII. 20. 1. Petr. II. 25. V. 4.* contendere, ei nec minimum ea de re supererit dubium. Quid? quod ipse *Kimchius* in *Comment: ad versum primum hujus capituli* fateatur quod *כל אלה הנחמות עתידות לימות המשיח* omnes ista consolationes paratae sint, & eventura in diebus *Messiae.*

§. III.

Hunc vero Mesiam prædicat & prædicit *Esaïas*, non solum gregem suum instar pastoris pasturum, sed imprimis agnellos in brachium suum congregaturum, inque sinu suo portaturum? ubi primo Objectum considerandum nobis erit penitus, deinde, quid ratione objecti illius facturus sit Mesias, brevibus ad Examen revocandum. Objectum exponitur voce *שְׂרָאִי* Duabus ea duntaxat vicibus in sacro reperitur codice; videlicet *1. Sam. XV. 4.* & hoc, in quo enodando versamur, loco: verum non sine magno utriusque loci, significationem quod attinet, discrimine. In libro *Samuelis* quin proprium nomen sit loci, in quo *Saulus* numerum copiarum, quas contra *Amalekitas* ducturus erat, iniit, nullum quidem mihi hæret dubium, quicquid contra nugentur *Hebræorum* magistri, qui *Interpretis Chaldæi* vocem *Hebraicam* *שְׂרָאִי* per *אֲמָרֵי פְסָחִים* agnos paschales reddentis, vestigiis insistentes, recensionem exercitus, ne scilicet clades inferretur populo, per agnos factam fuisse pronunciant. Monuerunt id passim *Lexicographi* tantum non omnes: consentit in *Palastina Hadr. Relandus*, grande illud *Trajectinæ* non ita pridem *Academiae*



demix decus: firmavit & magnis rationum ponderibus addixit incomparabilis *Bochartus*, quo peritiorum literarum Orientalium non habuit orbis, in præstantissimo de animalibus opere. Quin idem visum jam fuit Interpretibus Græcis, quanquam Codices cum scripti, tum impressi pro ἰν Ταλαοῖς, ἰν Γαλγαλοῖς describentium vitio exhibeant, ut laudatus modo. *Bochartus* non inepte conjecturam facit. Nostro vero in loco appellativum quod sit, & minoris pecudis designet speciem, ita consentientibus, & in idem conspirantibus interpretum comprobatur suffragiis, ut in diversum hic qui abeat, viderim neminem.

§. IV.

Singulari numero, qua forma sit efferenda vox nostra, non ita pro certo affirmare habeo, ut curiosiori omnis plane eximatur serupulus, eique amplius deliberandum non sit. Universa Lexicographorum cohortis, illi saltem, quos inspicere, quorumque sententiam hac de re consulere licuit, pluralem מלך sine hæsitacione à singulari מלך deducunt, qui itidem duobus tantum locis in sacro occurrit codice, semel in forma absoluta, apud *Esaiam* c. LXV. 25. iterum in forma constructa I. *Sam.* VII. 9. Calculum adjiciunt Interpretes tantum non omnes: ipse quin etiam magnus *Bochartus*, ut inspecto cap. XLIII. libri secundi Partis Prioris Hierozoici, luce patet meridiana clarius; quanquam postea, nonnullis interjectis, animo non nihil fluctuans, geminum ponat singularem מלך & מלך. Unus, quod sciam, Clarissimus *Viringa*, magni sane & in his literis, & in omni re Philologica pariter ac Theologica nominis, a reliquis hic divortium facit, in Commentario ad hunc locum, singularem מלך, non מלך esse statuens. Casus an consilio id fecerit testatum non reliquit; nulla, cur ab aliis dissentiret, adjecta ratione. Quicquid ejus sit, regulis Grammaticis  
fi



si sua constare debebat ratio, aliter sane fieri vix poterat: cum a שְׁלֵה, שְׁלֵי in plurali dicendum sit; שְׁלֵיִם vero rectius a שְׁלֵי vel שְׁלֵי deducatur. Nec obstat quod hi singulares usu frequentati in sacris non legantur: multa enim pluralia a singularibus jam non obviis descendere, nemo mirabitur, nisi qui Grammaticæ omnis rationis plane est expertus, & quam pauca Hebraice, idque pure; scripta ad nos pervenerint monumenta, non perpendit. Monent quidem, qui receptam tuentur sententiam, ׀ cum & sæpissime permutari, id quod nec me fugit, nec cuiquam, Hebraicis literis mediocriter tincto, obscurum esse potest: sed ne unum quidem hujus formæ, in quo id factum sit, & segol simul in Kamez transferit, proferunt exemplum, quod tamen omnino factum fuisse oportebat. Sed ohe! satis, plus satis est Grammaticarum tricarum: quibus ne benevolo Lectori tædium creemus, ad erudendam vocis originem, & indagandam significationem progredimur, majus forsan operæ facturi pretium.

§. V.

Hic vero, natales vocis quodattinet, nonnihil sese objicit tenebrarum, id quod forte in causa fuit cur Schindlerus & alii, in eos ne inquirendum quidem sibi putaverint, certo eos a se, & indubitate assignari posse desperantes. Plerique tamen, ut Avenarius, Buxtorffus, Coccejus, Majus, Stockius, Gussertus & alii, à radice שְׁלֵי inflexam esse vocem nostram, aut cum ea saltem conferendam arbitrantur: quæ, quamquam ipsa extra particip. plur. fœm. in pyhal שְׁלֵיִם, Jos. IX. 5. non legatur, quin tamen maculosum, aut variis & versicoloribus maculis conspersum esse significet, derivatum שְׁלֵי, sive illud pro Adjectivo, sive pro Participio Pahul habeatur, dubios nos hære non patitur. Atque ita magnum jam ad inventiendam veram vocis significationem fecimus gradum. Agnum equidem quod notet, unanimi consensu tradit, quicquid ubi-



que est Lexicographorum & Interpretum, *Uzielides, Hilelis*, ut ajunt, discipulus, & *Simonis* justus, qui Christum infantulum ulnis suscepisse memoratur, condifupulus per מרמ ab אמרמ, quod agnum significat, transtulit. Ad eundem modum Alexandrini Interpretes convertunt ἀγνας, quæ vox, docente *Hesychio*, προβατα μικρα & *Phavorino*, υσγινας ἀγνευς denotat. Recentiores in re manifesta & cuius obvia jam non appellabo. *Bochartus* tamen, aliquoties jam ad partes a nobis vocatus, nativæ vocabuli significationi inhæret etiam prescius. Ait enim מרמ sive מרמ proprie significare agnum subrumum &, quod a Celeber: *Viringa* adjicitur, ab uberibus matris etiamnum pendentem, idque in hunc colligit modum. מרמ, inquit, sive מרמ, quodcunque sit animal, a maculis ita dictum est. Id quidem ille hædo maxime convenire ait, quod hædus adhuc subrumus certis maculis adpersus sit, quas ætas delet: sed pronum est inde colligere, ad ovinum genus translata vocem non majoris ætatis agnum exprimere. Faciunt eo, quæ ex *Hesychio* & *Phavorino* ad vocem ἀγνας allata modo sunt: quibus eandem fere tibiam insunt *Polux* & *Ammonius*, ille Onomastici libri. l. cap. XII. Sect. 250. ita scribens: καλεουται δε των μων βοων τα νεα μασχοι, των δε προβατων ἀγνας, των δε αἰγων ἀγνοι: hic vero in libello de Similibus & Different. Vocab. ἀγνας καὶ ἀγνευσι διαφερασιν ἀγνας μων γαρ λεγονται οἱ υσγινοι ἀγνευσι δε οἱ προηκοντες τη ηλικια. Firmat sententiam *Bocharti*, novoque nec facile movendo sulcit tibicine locus I. *Sam.* VII. 9. ubi vox nostra cum voce מרמ diferte jungitur: ut adeo dubium non sit, quin מרמ sive מרמ agniculum, ubera matris etiamnum fœcantem, ἀγνα γαλαθηνον, ut *Alexandrini Interpretes* & *Siracides* XLVI. 16. vocant, proprie & primario significet.

§ VI.

Quamvis vero agnorum nomine omnibus in linguis, bruta communiter venire soleant animantia, nemini tamen in opinionem veniet, quasi & hic de ejusmodi pecoribus sermo sit, quæ ratione destituta,





destituta, ventri tantum obedientia, & in terram prona finxit natura quæve materna prolapsa & effusa alvo, lanium in horas expectant singulas. Non lanigeri alicujus gregis, non abjectarum & stolidissimarum pecudum, insuavi balata aures obtudentum pastor est Dominus, qui contra Validum venturus, suoque brachio dominaturus hic prædicatur: sed hominum ratione ac mente præditorum, quorum omnis vis in animo sita est; qui ubi se in oves passionis Dei commutatos esse dicunt, eodem habitu se populum Dei, Dei peculium, archissimo illi conjunctum & illigatum federe, factos esse gloriantur. P/. XCV. & C. Nihil notius est, quam quod homines animalium, quorum indolem & naturam referunt, in sacris pingantur figura, & nominibus exprimantur. Ita leonum, tigrum, ursorum, aprorum, aliarumque ferarum passim insigniuntur nominibus a Viris spiritu Dei plenis, ejusque instinctu ad scribendum impulsis, qui adversus fœderatum Deo populum eadem sævitia, truculentia, rabie, & immanitate grassantur, qua leones, tigrides, ursi, apri similesque feræ minora & invalida confectantur animalia. Ita Vulpes & Vulpeculæ audiunt *Salomoni* in divino *Cantico*, cap. II. 15. falsi doctores, qui Ecclesiæ Dei eandem cladem & vastitatem inferunt, quam vineis vulpes & vulpeculæ inferre solent: quo cum paria faciunt *Jeremias* Thren. V. 18. & *Ezech.* XIII. 4. hostes populi Dei Vulpes vocitando, falsosque in populo doctores cum Vulpibus comparando. Quid autem, ut de aliis animantibus, quæ vel auras pennarum diverberant celeritate, vel undas pinnarum permeant agilitate, nunc nihil dicam; quid, inquam, frequentius, quam ut homines Christum vera fide amplexi, & fidei, spei, charitatis, celsitudinis animi, fortitudinis, & in ferendis ac perferendis laboribus aut periculis invicti roboris ac patientiæ laudibus insignes equorum, boam, camelorum, aliorumque usibus hominum inventientium jumentorum vocabulis represententur? Nemo id pluribus adstrui expetet, nisi qui scripturam sacram attento nunquam meditatus est animo; aut *Flacii*, *Glassii*, *Ravanelii*, *Gurlieri*, *Doxercinii*, *Honertii*, aliorumque doctorum virorum hoc in genere labores ignorat; eamque Theologiæ partem, quæ Symbolica & Hieroglyphica appellatur, ne primoribus quidem degustavit labris.

## §. VII.

Maxime vero frequens & usu protritum est, ut fideles ovium in sacris adumbrentur imagine, & nomine insigniantur. Ratio in propatulo est, quia scilicet fideles, utut aberrationibus multis, ceu istud animantium genus, obnoxii, & contra validiorum impetus nulla carnali armati & instructi potentia, mansuetudine tamen, lenitate, patientia, puritatis & sanctitatis studio, & imprimis obedientia & exacta Christi summi sui Pastoris sequela, ad ovium naturam & indolem proxime accedunt. Non uno tamen, quod probe notandum, appellatio ovium in Scriptura semper adhibetur modo. Est, ubi promissive omnes, qui ad Ecclesiæ septa traducti sunt, & in posterum adducendi, communi ovium comprehenduntur & designantur vocabulo.

Ita



Ita Christus ipse *Johannis* decimo capite aliquoties omnes, pro quibus ille, seu bonus Pastor positurus erat vitam, quique ab ipso vocandi, illius audituri, erant vocem, eumque secuturi, oves, imo suas vocat oves. Et cum apud *Matthæum* capite vicesimo quinto circa finem judicii, in consummatione seculorum in omnes exercendi, formam, vivis depictam & expressam coloribus, ob oculos ponere vult, omnes, quos in æternam intromittendos vitam, sibi a dextris consistere iustus est, promiscue ovium appellat nomine. Est vero etiam, ubi oves ab agnis, uti majores a minoribus natu distinguuntur. Non provocabo nunc ad locum *Ezechielis* XXXIV. quod ibi agnorum diserta non injicitur mentio; quanquam illi debiliū & infirmorum nomine comprehendi forsan possint: in nostro loco id fieri adeo manifestum est, nihil ut possit esse manifestius. Ad eundem modum Christus, Simo- nem Petrum Apostolum & Doctorem Ecclesiæ deuo constitutus, eundem non oves tantum suas, sed etiam agnos pascere jubet, *Joh. XXI. 15. 16. 17.* Quod si vero per oves, ubi ab agnis disjunguntur, recte, qui verbo justitiæ jamdudum innutriti, & majore præditi ro- bore, aliis scientia, fide, pietate & sanctitate antecellant, intelliguntur: quis non videt per agnos ejusmodi pingi & representari homi- nes, qui ex aqua & spiritu recens nati, & obstetricante piorum Do- ctorum opera, Ecclesiæ matris alvo vix educti lacte etiamnum, non solidiore cibo, fovendi & nutriendi sunt. Atque ejusmodi agniculus animo Prophetae obversatos fuisse, e sequentibus patecet clarius. Quia, si idem ab annis etiam instructi non satis fuerint, ætate ad- huc immaturi, bis certe, & qua homines, & qua Christiani, qui agni vocentur, digni sunt: quos proinde agnorum censu heic loci exclu- di nequaquam, sed vel imprimis includi, & simul intelligi velim.

## §. VIII.

Id quod agnis his facturus esset Messias, duplici a Propheta de- scribitur phrasi: primo *congratularus eos* dicitur *brachio suo*; deinde *in suis suis gestaturus*. Sed ne ultra consuetum modum exerceat hæc commentatio, hic solum abrupimus, quæ detexenda restant alio b. c. Deo adjuncturi tempore.

Indicenda nunc est Oratio Auspicalis, quam jussu & auctoritate Excellentissimorum Scholæ Curatorum, Rectorum Scholæ Regiæ Fri- dericiæ, quæ heic loci est solenniter inaugurandus, de I. O. QUOD FELICES RRÆSTAT SCHOLAS a. d. 5. Mart. in Lyceo Frideri- ciano habiturus sum. Quem actum ut Magnif. Univ. Rector, Ex- cellentiss. Scholæ Curatores, Patres Academiæ Conscripti, ac ceteri cujuscunque Ordinis atque Dignitatis Conspicui Viri bonarum lite- rarum Fautores Egregii, Scholarum, ejusque, quod ad Felicitatem illarum pertinet, Statores ac Promotores Optimi, honorificentissima sua præsentia cohonestare, mihi quæ, de re optimi ominis verba facturo, bene ac feliciter ominari ne dedignentur, ea, quæ par est, observantia submisit officioque rogo, P. P. a. d. 5. Mart. A. MDCCXXXVI.





Fd 5611

ULB Halle  
002 715 18X

3




7730C

VD 17

NC











EXERCITATIONIS PHILOLOGICÆ  
DE

MESSIA, AGNELLOS  
IN BRACHIUM SU-  
UM CONGREGATURO,  
INQUE SINU SUO GE-  
STATURO,

AD ILLUSTRATIONEM

ESAÏÆ XL. V. II.

SECT. I.

QUA  
AD

ORATIONEM AUSPICALEM

DE

EO, QUOD FELICES PRÆSTAT  
SCHOLAS

D. V. MART. IN LYCEO FRIDERICIANO

à SE HABENDAM

HUMANISSIME INVITAT

**HERMANNUS BEISMANN,**

SCHOLÆ REG. FRIDERIC. DESIGNATUS

ET INAUGURANDUS RECTOR.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis SIGISMUNDI GABRIEL ALEY

af.  
5